

modo debitum ex vi primi auxilii excitantis. — De auxilio autem concomitante, etiam primo, dici potest esse aliquo modo debitum ex vi primi auxilii excitantis et sufficientis, non quidem ita ut statim actu detur, quia hoc pendet suo modo ex influxu libero voluntatis, sed ita ut Deus præsto sit ad dandum illud, si homo per suum arbitrium cooperari velit. Nihilominus etiam auxilium hoc dari non potest ex merito illius operis ad quod datur, ut supra dixi. Et ideo si sit primum, seu ad primum actum supernaturalem, sub nullo merito ejusdem liberi arbitrii et conatus ejus cadere potest; nam si sit conatus ad præcedentem actum, erit mere naturalis, et sic nullius valoris; si vero sit conatus ad actum subsequentem, licet possit esse meritorius, non tamen præcedentium gratiarum; si denique, sit ad ipsummet actum, qui per illud fit, licet conatus liberi arbitrii sit conditio sine qua non datur actualiter tale auxilium, non tamen est ratio prævia, sed pure concomitans, neque est actio distincta ab actione ipsius auxilii, sed cooperatio ad eandem; et ideo non potest ulla ratio meriti in eo fundari, etiamsi conatus ille dici non possit esse a libero arbitrio per solas vires naturæ operante, sed ut elevato per divinam gratiam.

Unde multo magis constat illam quasi præparationem in actu primo, qua Deus paratus est ad adjuvandum hominem a se vocatum, non fundari in conatu vel merito ipsius hominis, cum sit prior illis, sed fundari in ipsamet gratia præveniente, et in conveniente providentia gratiæ, ratione cujus prævenienti gratiæ debetur concomitans, saltem in præparatione Dei, si homo non desit gratiæ Dei, quia alias otiose et sine fructu daretur auxilium præveniens, cum illud sine concomitante non sufficiat ut supernaturalis actus humanus fiat. Et ita cum dicitur tale auxilium concomitans deberi supposito excitante, non est quia Deus illud debeat homini, sed quia debet illud sibi et convenienti ordini providentiæ suæ.

Unde proveniat quod noster intellectus et voluntas possint per vires naturales elicere aliquos actus imperfectos circa objecta supernaturalia materialiter sumpta. — Et hoc etiam videtur intendere Molina in citatis locis, dum ait Deum præsto esse homini ut, quoties ipse paratus est ad conandum totum id quod ex se potest, circa ea quæ fides habet addiscenda et credenda, vel circa agendam pœnitentiam

de peccatis, Deus illi auxilietur, ut ea faciat, prout ad salutem expedit. Et quoad hoc procedit exemplum quod adhibet de generali concursu, quem Deus paratus est dare voluntati, si juxta libertatem suam operari velit, non quia conatus aliquis voluntatis præcedat, sed quia ipsemet Deus dedit voluntati naturalem virtutem ad operandum, quæ concursus Dei postulat. Ita enim postquam Deus cœpit vocare hominem, paratus est ad cooperandum illi altiori modo quam per naturales vires operari possit, non quia præcedat ex parte hominis conatus aliquis cui hoc debeatur, sed quia ipsa ratio generalis providentiæ hoc postulat, et ipsi prævenienti gratiæ, ut dicebam, debetur concomitans, atque ita tunc datur gratia pro gratia, non pro merito.

Estque accommodata hæc ratio dicendi ad explicandum quomodo facultates nostri intellectus vel voluntatis, quæ, circa objecta supernaturalia materialiter sumpta, possunt per vires naturales aliquos actus imperfectos elicere, aut fidei humanæ, timoris, vel amoris naturalis, eleventur, ut perfecte et supernaturaliter operentur potius quam illo imperfecto et naturali modo; provenit enim hoc ex singulari concursu et adjutorio divino, quod illis potentiis jam excitatis præparatum est. Supponuntur enim tales potentiæ per sufficientem excitationem supernaturalem constituere in actu primo, vel per habitus supernaturales; et tunc Deus statuit cum illis influere juxta exigentiam talis habitus vel excitationis, si ipsæ simul influant, et ita elevat conatus earum, ut qui per se tantum esset conatus naturalis, jam sit conatus supernaturalis vel obediens ratione gratiæ cooperantis.

CAPUT XII.

CUM SENTENTIA DE VOCATIONE CONGRUA OPTIME CONSENTIRE OMNIA QUÆ DE PRÆDESTINATIONE, PROVIDENTIA AC PRÆSCIENTIA DIVINA, VERA THEOLOGIA DOCET.

De Dono perseverantiæ, cap. 14. — Cum, teste Augustino, prædestinatio sit gratiæ præparatio, non potest quis sinistre de Divina gratia sentire, et nimium aliquid viribus liberi arbitrii tribuere, quin consequenter de divina prædestinatione minus recte sentiat. Et ideo moderni auctores, qui ad impugnamdam nostram sententiam in tot errores contra divinam gratiam nos declinare confingunt,

plures alios, vel falsas opiniones circa prædestinationem, vel præfinitionem divinam, nec non etiam circa providentiam et præscientiam nobis imponunt, quibus respondere necesse est, tum ne veritas infamiam patiatur, tum etiam ut, ex consonantia aliorum Catholicorum dogmatum cum nostra sententia, certitudo veritatis ejus magis perspicua fiat.

Igitur nobis tribuunt, a cap. 22, pag. 272, quod dicamus *non hominem eligi a Deo, sed hominem potius eligere Deum; quia* (secundum illam sententiam, inquit) *homo pro sua libertate bonum eligit priusquam a Deo trahatur electus; et alibi dixit: Quod hi cum his auxiliis prædestinati et salvi non fuerint, illi vero salvi et prædestinati fuerint cum similibus, ex illorum Theologorum sententia non aliunde est quam ex innata libertate; et alibi: Non est tuta* (inquit) *ista auxilii moralis efficacis sententia, quæ certitudinem eorum, quæ ad effectum prædestinationis attinent, in sola tenet divina præscientia consistere, cap. 20, p. 224; et alibi, cap. 23, pag. 294: Tollunt* (inquit) *isti Theologi præfinitionem divinam in ordine ad actus liberos in particulari.* Quæ omnia ex nullo loco nostrorum auctorum vel librorum refert, sed ex eo solum quod dicimus ipsam determinationem ad consensum esse ex libero influxu voluntatis, illa omnia inferre videtur; nam si determinatio nostra est, nos sumus qui primo eligimus Deum, aut bonum. Quia ante determinationem Deus ex se intelligitur quasi indifferens, et ideo non intelligitur in illo voluntas beneplaciti, quæ est prædefinitiva, et infallibiliter determinat effectum, sed præintelligitur tantum voluntas antecedens, quæ, quantum est de se, potest non habere effectum; sic ergo tollitur prædefinitio juxta hanc sententiam. Et consequenter etiam tollitur certitudo effectuum gratiæ ex voluntate divina, etiam in his qui salvantur, sed est tantum in præscientia. Ac denique concluditur discretionem inter prædestinatos et reprobos non esse in voluntate divina (præsertim respectu eorum quibus æqualia auxilia obtulit, sed ex innata homini libertate, per quam hic se determinavit ad consensum, et non ille, contra illud Pauli: *Quis enim te discernit?* Et illud: *Non ex operibus, sed ex vocante, etc.*

Eodem genere illationis seu argumentationis (nisi fortasse in vocibus sit æquivocatio) usus est P. Cabrera, disp. 2, § 1, num. 8 et 109, cum mihi propositionem hanc imponit: *Nulla datur præfinitio physica, seu in genere*

causæ efficientis, actuum liberorum, sed actus, sic definitus, non libere, sed necessario fieret. Huc etiam spectat, quod ex eodem retulimus mihi etiam impositum, disp. 3, § 2, num. 20, divinam providentiam expectare determinationem nostræ voluntatis. Nam ex nostra sententia videtur hoc sequi, saltem quoad prædestinationem et præfinitionem divinam.

Hinc etiam dicunt nos male sentire de præscientia Dei futurorum actuum voluntatis humanæ. Asserunt enim affirmare nos Deum non cognoscere hos actus in seipso seu in voluntate sua, sed potius in hominis voluntate. Sic dixit Franciscus Davila, cap. 20, pag. 245: *Asserunt Deum cognoscere in voluntate tanquam in causa futuram volitionem liberam; quia, seclusa divinæ voluntatis præfinitione, putat id necessario sequi, et esse tum impossibile, quia in causa indifferente nihil potest certe cognosci, tum etiam alienum a divina Majestate, sic enim certitudinem scientiæ suæ a creaturis suis mendicaret.*

Alii denique nobis tribuunt errorem alium in materia de divina providentia, scilicet, non solum peccata, sed etiam bona opera, et, quod gravius est, ipsamet salutem hominum, seu actus quibus illa comparatur, evenire præter intentionem Dei. Quod potest ita inferri, quia intentio dicit voluntatem efficacem et prædefinientem; sed hanc Deus non habet etiam respectu talium effectuum; ergo veniunt præter intentionem ejus, id est, sine illius intentione. Item quia ablata præfinitione solum manet promissio; quod autem ex sola promissione fit, præter intentionem est. Atque ita videtur de nobis sensisse D. Cabezudo, defensor physicæ prædeterminationis. Et signatim ad hoc studet inducere quædam verba Molinæ in Concordia, disputat. 1, ad quæst. 19, pag. 380, et disputat. 2, ad artic. 1, quæst. 22, pag. 369. et in explicatione artic. 3 et 4, quia dicit aliqua evenire præter Dei institutionem, et non omnes effectus, etiam bonos, esse intentos a Deo, vel etiam volitos.

Ut veritatem ostendamus, præmittere oportet de quarum rerum prædestinatione, prædefinitione aut electione sit sermo, nam possunt habere diversa objecta seu terminos, ratione quorum varias habeant significationes, etiam in puris hominibus, ut nunc Christi prædestinationem omittamus. Et juxta hanc varietatem erit de illis, aut diversum judicium ferendum, aut saltem non æque certum in

multis, quæ de illis solent a Theologis tractari. Generatim ergo loquendo, duplex est prædestinatio: alia simpliciter quæ est *præparatio gratiæ et gloriæ cum effectu consequendæ*, juxta illud Augustini de *Dono perseverantiæ*, cap. 14: *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quam præscientia, et præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quicumque liberantur*; ideo enim addidit, *prædestinatio Sanctorum*, ut indicaret se loqui de prædestinatione simpliciter. Alia est prædestinatio secundum quid, id est, ad gratiam, vel ad fidem, vel ad aliud simile bonum, quamvis non attingat usque ad gloriam vel donum perseverantiæ in justitia usque ad mortem. Et ad tollendam ambiguitatem verborum, nomine prædestinationis simpliciter sumpto utimur in priori significatione, in alia vero utimur potius nomine prædefinitionis. Nam hæc vere significat quodcumque propositum divinæ voluntatis, quo, absoluta voluntate, quam vocant beneplaciti, aliquid fieri decrevit.

Prædefinitio dicit aliquam antecessionem.—Quia vero prædefinitio, sicut et prædestinatio, non solum dicit decretum quo Deus definit vel destinatur aliquid, sed etiam ratione illius particulæ *præ*, dicit aliquam antecessionem, ideo sciendum est posse tale decretum comparari, vel cum effectu seu termino prædefinito, quantum ad realem durationem vel existentiam ejus, vel cum præscientia Dei ejusdem effectus seu termini, aut alicujus causæ seu rationis, quæ moveat Deum ad discernendum vel volendum id quod præfinit. Et hoc posteriori modo maxime sumitur in præsentia materia. Nam quod priori modo prædefiniatur a Deo in sua æternitate effectus, qui ab ipso in tempore fiunt, evidentissimum est, non solum de effectibus gratiæ, sed absolute de omnibus, prout ab ipso Deo fiunt. Quia per voluntatem Dei fiunt, quæ voluntas non incipit velle aliquid in tempore, sed ex æternitate vult quidquid vult. Ergo si illa particula *præ* solum indicat antecessionem realem æternitatis ad tempus, clarum est Deum prædefinire supernaturales actus; sed difficultas est de prædefinitione, prout dicit antecessionem rationis decreti voluntatis ad præscientiam futurorum, et ita utimur illa voce in præsentia.

Electio distinguitur in electionem ad gloriam vel ad gratiam.—Electio etiam distingui solet in electionem ad gloriam vel ad gratiam, et quot sunt dona gratiæ, tot possunt

multiplicari electiones. Est autem electio voluntatis actus, ut ex secunda secunda constat. Unde in præsentia reipsa coincidit cum prædefinitione Dei, si cum proportionem sumatur in ordine ad gloriam, vel gratiam; imo et nomen prædestinationis illis æquivalet, quatenus prædestinatio ad voluntatem pertinet, ut nunc, claritatis gratia, supponimus. Solet autem electio quasi per antonomasiam sumi pro electione ad gloriam, a quo omnes qui salutem consequuntur, dici solent simpliciter electi. Atque electio dicitur singularis et efficax intentio, qua Deus decrevit tales homines salvare, ex vi cujus præordinavit efficaciam media, quibus ultimam salutem consequerentur. Qui actus vel formaliter vel virtute continet bona omnia quæ talibus hominibus Deus dare voluit, et ut sic habet rationem magnæ dilectionis respectu illorum; quatenus vero eos præfert cæteris non sic dilectis, vocatur electio. Nomina autem providentiæ et præscientiæ generaliora sunt ac notiora, et ideo nihil de illis præmittere necesse est, præter ea quæ inferius annotabimus.

Prædestinatio simpliciter dicta non tollitur ex eo quod tollatur prædeterminatio physica.—Igitur quod attinet ad prædestinationem simpliciter dictam, clarum est eam non tolli ex eo quod tollatur prædeterminatio physica; quia sine tali prædeterminatione esse potest in Deo æterna præparatio beneficiorum ejus, quibus (ut Augustinus dixit) certissime liberantur quicumque liberantur. Ubi diligenter ponderanda est illa particula *certissime*, non enim dixit *necessario* liberantur, ad quam necessitatem esset certe valida et necessaria prædeterminatio physica; sed dixit *certissime*, ad quam certitudinem congrua vocatio satis superque est. Itaque ratio divinæ prædestinationis solum postulat ut infallibiliter ordinet media ad finem cum effectu consequendum. Hæc autem infallibilis ordinatio sufficienter fit per vocationem congruam, et per gratiam prævenientem et efficacem efficacitate infallibili, secundum præscientiam conditionatam Dei. Imo ad veram prædestinationem salvandam, necessarium est hoc genus efficaciam in divina gratia sine prædeterminatione physica, quia infallibilitas prædeterminationis talis esse debet, ut veram arbitrii libertatem non evertat, neque ita antevertat, ut ejus usum impediatur, quod optime fit, et facillime intelligitur per vocationem congruam, per physicam prædeterminatio-

nem nullo modo. Ergo modus efficaciam vocationis congruæ non solum ad divinam prædestinationem sufficit, verum etiam necessarius est ut ejus dispositio fortis simul et suavis inveniatur.

Prædestinatio est omnino gratuita et liberalis ex parte Dei.—Habet autem aliam conditionem divina prædestinatio, quia non solum efficax est et suavis, sed etiam omnino gratuita et liberalis ex parte Dei, quia nulla illius ratio meritoria antecedit ex parte hominis, etiam in præscientia divina, ut nunc supponimus. Huic autem conditioni putatur magis repugnare nostra sententia, sed immerito; quia omne meritum nostrum, quod in tempore fit, supponit vocationem congruam ex parte Dei; quia omne tale meritum debet fundari in aliquo supernaturali consensu, seu actu libero, concurrente ad justificandam animam aliquo modo, seu in aliquo genere causæ; ad hujusmodi autem actum excitans gratia necessaria est, quæ idem est quod vocatio; quæ gratia si ita datur ut homo illi respondeat, congrua est. Semper ergo actus voluntatis aptus ad meritum supponit vocationem congruam; ergo necesse est ut talis vocatio, saltem quoad primum actum meritorium, gratis et sine merito detur; quia non potest dari propter meritum antecedens, nullum enim esse potest, cum supponamus hoc esse primum, ante quod nullum est; nec propter meritum subsequens tempore, vel natura, seu fundatum in ipsomet primo actu, qui a prima vocatione congrua procedit, quia meritum, secundum legem ordinariam, non respicit ea quæ retro sunt, sed ad ulteriora se extendit, nec potest esse ratio aut causa sui principii.

Prima vocatio congrua hominis prædestinati necessario est gratuita, et sine ipsius merito.—Quibus et aliis rationibus probavimus late, in capite præcedenti, primam gratiam auxiliantem, etiam efficacem, non cadere sub meritum ejus qui illam recipit; ergo prima vocatio congrua hominis prædestinati necessario est gratuita, et sine ipsius merito; ergo et tota prædestinatio; quia si primus effectus prædestinationis sub meritum non cadit, nec prædestinatio ipsa cadere potest. Non est enim de ratione prædestinationis ut nullus effectus ejus cadat sub meritum; quin potius per ipsam ordinatur, ut quamplures et fere omnes ejus effectus non comparentur sine aliquo merito; solum ergo necesse est ut tota collectio effectuum sub meritum non cadat. Ad

hoc autem necesse est et sufficit, ut primus effectus non cadat sub meritum; tum ut initium salutis non sit ab homine, sed ex Deo; tum quia primus effectus est quasi fundamentum cæterorum, et ideo si ille est gratuitus, jam tota series gratuita est. Nam constituere hominem sub tali serie effectuum gratiæ, fuit ex solo beneplacito Dei, priusquam in homine potuerit aliquod meritum prævideri, et hoc est prædestinationem esse gratuitam.

Objectio.—Dices, quamvis hoc discursu probetur hominem non prædestinari ex proprio merito, nihilominus, juxta nostram sententiam, dici non posse prædestinari hominem sine ullo respectu ad bonum usum arbitrii sui; ideo enim hic prædestinatur, et non ille, quia hic bene usus est divino auxilio, et non ille, sive per illam notam causalem importetur causa meritoria, sive dispositiva, sive conditio sine qua non; quicquid enim horum dicatur, censetur non parvum incommodum. Sequela patet, quia prædestinatio non facit illum bonum usum, ut est ex parte hominis, quia ille usus ut sic non est ex gratia, sed ex innata libertate; prædestinatio autem est solum de gratuitis, non de naturalibus, ut est innata libertas; ergo prædestinatio supponit illum bonum usum futurum ex parte hominis, tanquam rationem aliquam, vel conditionem necessariam, ut subsistere possit. Et confirmatur, nam juxta nostram sententiam fieri potest ut cum æqualibus omnino auxiliis prævenientibus unus salvetur, et alius damnetur, solum quia unus cooperatur, et non alius; et quamvis ille, qui operatur, majorem semper habeat adjuvantem gratiam, tamen ut hanc recipiat, conditio necessaria ex parte illius est actualis influxus liberi arbitrii ejus, ad quem non determinatur a gratia, sed a se; illique qui non cooperatur paratum erat æquale Dei adjutorium, quantum erat ex parte divinæ prædestinationis; ergo bonus usus liberi arbitrii ex parte prædestinati fuit saltem necessaria conditio ut ille potius quam alius prædestinatus fuerit.

Solvitur.—*Quomodo intelligendum quod bonus usus liberi arbitrii sit conditio necessaria ad prædestinationem.*—Respondetur non defuisse graves et antiquos Theologos qui ita censuerint, quorum opinio hactenus nulla censura digna ab Ecclesia judicata est. Verumtamen nobis nec vera videtur, nec est necessaria, quia non sequitur ex nostra sententia, quicquid sit de illius qualitate. Oportet

ergo distinguere inter prædestinationem et effectum ejus, seu inter prædestinationem quoad suum esse, vel quoad executionem. Nam prædestinatio pertinet ad intentionem et internam Dei dispositionem, ac præparationem gratiæ, quam Deus in mente et voluntate sua ab æterno præfinivit; executio vero pertinet ad causalitatem ipsius prædestinationis, quæ ad extra et in tempore fit. Cum ergo dicitur bonus usus liberi arbitrii esse conditio necessaria ad prædestinationem, imprimis intelligendum est de bono usu, non mere naturali, sed cum gratia et ex gratia, quem nos, brevitatis causa, obedientialem appellamus. Deinde verum est illum bonum usum esse conditionem necessariam ad consummationem seu executionem prædestinationis, non vero ad ipsam prædestinationem secundum se.

Imo, licet in executione illa sit conditio necessaria ad effectus prædestinationis, non tamen ad omnes et singulos secundum eundem respectum; nam si ad justificantem gratiam comparetur, est necessaria ut conditio antecedens, tanquam ratio, et aliquo modo causa ejus; si vero comparetur ad auxilium adjuvans, seu ad actualem influxum gratiæ cooperantis, sic est necessaria conditio solum simultanea et concomitans; si vero comparetur ad vocationem congruam, seu auxilium præveniens efficax, sic est etiam necessaria conditio, non tamen antecedens, nec concomitans, sed tantum subsequens; est enim vatio congrua, quæ infallibiliter facit ut voluntas respondeat, et bene utatur gratia sibi collata; non tamen supponit hunc bonum usum, sed prævia est ad illum; atque hinc fit ut respectu prædestinationis non posset ille bonus usus esse conditio aliquo modo præsupposita ad prædestinationem, ut sic, seu quæ sit aliquo modo ratio ejus; quia prædestinatio supponitur ad vocationem congruam, et hæc ab illa procedit tanquam a prima origine; ergo, quod respectu vocationis non potest esse conditio antecedens, neque concomitans, sed ad summum subsequens, multo minus poterit esse respectu prædestinationis; quod autem ille bonus usus sit conditio subsequens infallibiliter ex prædestinatione, nullum est inconveniens; quia inde solum sequitur illum bonum usum esse aliquo modo ex prædestinatione; quod non obstat, imo juvat, ut prædestinatio ipsa gratuita sit.

Sanctitas hominis est finis prædestinationis ejus, non ratio vel causa.—Cum ergo infertur

prædestinari hominem cum respectu ad bonum usum liberi arbitrii, distinguendum est: nam si intelligatur de respectu ut ad rationem vel conditionem præviam, negandum est; si vero intelligatur ut ad effectum et finem infallibiliter per prædestinationem consequendum, sic verum est. Quapropter neganda omnino est illa causalis: Quia homo bene usurus est gratia, ideo prædestinatur; sed dicendum potius est: Homo prædestinatur, ut bene gratia utatur; sicut sæpe Augustinus ponderat dixisse Paulum, ad Ephes. 1: *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti, non quia futuri eramus sancti.* Nam sanctitas hominis (in qua includitur bonus usus libertatis in gratia) est finis prædestinationis ejus, non ratio vel causa præcedens, etiam in præscientia divina; nec refert quod, juxta nostram sententiam, bona cooperatio liberi arbitrii futura supponatur in præscientia Dei ad prædestinationem, nam illud est verum de præscientia conditionata, non absoluta, nam hæc oritur ex prædestinatione quoad effectus ejus. Illa autem scientia conditionata sufficit quidem et necessaria est ut futurus effectus intendatur tanquam finis, vel eligatur tanquam medium ad finem; non tamen sufficit, ut respiciatur tanquam conditio antecedens ex parte hominis, vel tanquam ratio seu causa meritoria aut dispositiva, aut alia similis, ob quam Deus velit, aut talem effectum prædestinare, aut gratiam ad illum conferre, quia conditionalis nihil ponit in esse, ut in lib. 2 de Scientia Dei latius tractavimus.

Bonus usus quomodo sit ex prædestinatione divina.—Quod autem in objectione additur, illum bonum usum non esse ex prædestinatione, sed ex innata libertate, falsum est quoad priorem partem; non enim repugnat simul esse ex innata libertate et ex prædestinatione, quia non est ex pura innata libertate, sed adjuncta et præventa per gratiam Dei, juxta divinam prædestinationem; est ergo ille bonus usus ex prædestinatione divina. Primo, tanquam intentus per illam, ut dictum est; secundo, tanquam factus per eandem, media vocatione congrua; nam per illam facit Deus ut velimus; quid est enim facere ut velimus, nisi facere ut bene utamur nostro libero arbitrio? Ad hoc autem, ut supra dixi, necessarium non est ut Deus faciat illum bonum usum prædeterminando physice voluntatem ad illum, sed satis est ut illum faciat inclinando et vocando, eo modo quo prænovit esse accommodatum ei qui vocatur, et quod hoc to-

tum sit ex gratuita prædestinatione sua; quare, licet hic bonus usus sit ex innata libertate, non ideo est ex naturalibus bonis, quæ sub prædestinatione non cadunt; nam, ut dixi, non est bonus usus naturalis, sed obedientialis; eo vel maxime quod etiam naturalia bona, quatenus necessaria vel utilia ad supernaturalem finem, possunt sub prædestinatione cadere, sub quam cadunt omnia media quæ re ipsa et cum effectu conferunt ad salutem.

Denique, quod attinet ad comparisonem inter prædestinatum et reprobum in auxiliis, quibus unus salvatur et alter condemnatur, fatemur prædestinatos frequenter et regulariter recipere a Deo majora auxilia, non tantum concomitantia, sed etiam prævenientia, dum solo beneplacito Dei, vel supra illorum meritum præveniuntur; id enim et potest facere, et facit Deus, juxta altitudinem divitiarum sapientiæ suæ, ad ostensionem gratiæ suæ. Nihilominus tamen asserendum etiam est, hoc non ita esse de absoluta necessitate illius providentiæ, quam Deus observat cum prædestinatis et reprobis, quin possit evenire, ut cum auxiliis aliquo modo æqualibus ex parte Dei prædestinatus salvetur, et condemnatur reprobis; imo etiam accidere posset ut multo plura dona recipiat reprobis, quamquam in opportunitate auxiliorum prævenientium, et necessarium ad perseverandum, et in actuali receptione auxiliorum concomitantium, adultus prædestinatus semper reprobis excedat.

Declaro singula, nam prima pars, de superabundanti gratia regulariter collata prædestinatis, magnum habet fundamentum in Scripturis, et per se est perspicua, ac fere per experientiam nota, et ita de illo nulla est controversia, neque habet difficultatem; quia Deus, hac liberalitate utens cum aliquibus, cæteris non facit injuriam, quia de suo facere potest quod vult, neque aliis propterea negat quæ necessaria sunt, et juxta rationem divinæ providentiæ sufficiunt.

Altera vero pars necessaria nobis videtur ad salvandam sufficientiam gratiæ circa reprobos, et ut verum sit Deum paratum esse, quantum est de se, ad salvandum omnes, præsertim adultos, de quibus nunc tractamus; nam si esset de necessitate salutis consequendæ habere exhibita vel præparata a Deo majora auxilia, quam homo non prædestinatus de facto recipiat vel parata habeat, profecto talis homo non haberet in potestate sua omnia necessaria ad salutem; ergo nec

auxilium sufficiens haberet paratum ex vi divinæ providentiæ; nam quod est sufficiens includit ad minimum quicquid necessarium est, vel actu receptum, vel saltem ita oblatum, ut sit in potestate hominis habere illud; omnino ergo asserendum est non esse necessarium illud genus inæqualitatis inter prædestinatum et reprobum in divinis auxiliis.

Auxilia prævenientia et concomitantia ut distinguuntur.—Oportet autem distinguere inter auxilia prævenientia et concomitantia; nam de prioribus simpliciter verum est posse unum hominem cum æqualibus prævenientibus auxiliis converti et conteri, cum quibus alius non convertitur; contingere item potest ut tota salus pendeat ex unico actu contritionis, ita ut unus peccator in fine vitæ excitatus a Deo contritionem concipiat, et statim decedat, et sic salvetur; alius vero existens etiam in statu peccati similiter excitatus non convertitur; imo contingere potest ut is qui non convertitur, plura in superiori vita habuerit merita, et pauciora peccata, et quod vehementius excitetur in illo ultimo articulo, et quod pro sua libertate resistat; nam hoc totum amplectitur amplitudo et dominium libertatis humanæ; non ergo repugnat prædestinatum et reprobis esse æquales in hujusmodi remotioribus auxiliis, ut sic dicam, prævenientibus, ac de se habentibus æqualem virtutem ad operandum; quanquam in auxiliis ultimæ salutis propinquoioribus, et ad ultimam perseverantiam congruentibus, semper prædestinatus excedat non prædestinatum.

Quæ sit differentia in auxiliis concomitantibus.—Est etiam magna differentia in auxiliis concomitantibus; nam is qui actu operatur, semper recipit actuale auxilium cooperantis gratiæ, quod non recipit is qui non operatur, ut supra dictum est. Prædestinatus autem semper differt a reprobo, quia actu facit aliquid necessarium ad salutem, ut, verbi gratia, ultimam contritionem cum perseverantia, quam reprobis omittit; ergo in cooperante auxilio, quatenus actu recipitur ad talem effectum, non potest reprobis adæquari prædestinato; et nihilominus negari non potest quin reprobis habeat etiam paratum illud auxilium quantum est ex Deo, licet sua culpa illud actu non recipiat; et ita sub hac ratione etiam in hoc auxilio intercedit quædam æqualitas, nec mirum, quia sub illa consideratione quodammodo pertinet hoc auxilium ad prævenientia, quia Deus ex se prævenit homi-

nem, præparando illi cooperationem si per ipsum non steterit; atque hoc est quod Molina, in sua Concordia, disputat. 4, ad quæst. 23, memb. 11, pag. 490 in prima impressione, dixit, cum auxilio quo quis usque ad finem vitæ perseverat, posse, si vult, non perseverare; et cum auxilio quod Deus confert præstove est conferrè ei qui non perseverat, posse perseverare, per eumque stare si non perseverat; quod etiam ego tradidi lib. 6 de Auxiliis, cap. 11, num. 13, quia non potest aliter, vel libertas in prædestinatis, vel sufficientia gratiæ in non prædestinatis salvari.

Nihilominus tamen semper prædestinatus excedit in singulari beneficio vocationis congruæ, quæ secum infallibiliter afferat actualem perseverantiam usque ad mortem, de qua sæpissime loquitur Augustinus, illam appellans vocationem electorum, et ex proposito, et altam et secretam; quæ quidem vocatio, licet non semper excedat in intrinseca virtute aut quantitate motionis, excedit nihilominus in opportunitate, quia tunc datur quando profutura est; quod non potest ex parte hominis provenire, sed ex gratuita benevolentia divinæ electionis, ut bene expendit Augustinus, quæst. 2 ad Simplicianum, et late tractat Molina citato loco, et reliqui nostri Theologi, qui propter hanc potissimum rationem docent prædestinationem esse gratuitam, et non respicere cooperationem hominis ut rationem in qua fundetur, sed ut finem vel effectum, qui ex illa consequatur.

Propositio auctori falso tributa, et quid de illa sentiendum. — Ex quibus omnibus constat quid sentiendum sit de illa propositione nobis attributa, *Quod cum his auxiliis illi salvi fiant, illi vero non fiant, non aliunde esse, quam ex innata libertate*; quæ propositio coincidit cum alia superius tractata, *quod pro sua libertate*, etc. Et ex parte reproborum est vera, non vero ex parte prædestinatorum, unde absolute non est nostra, nec admittenda est; itaque de reprobis verissimum est non aliunde quam ex innata libertate oriri, quod cum talibus auxiliis non salventur, quia, ut sacra Scriptura testatur, perditio eorum ex ipsis est, non ex Deo; de prædestinatis autem licet verum sit cum talibus auxiliis pro innata libertate salvari, non est tamen verum *non aliunde id esse, quam ex innata libertate*; nam ille effectus habet plura alia et altiora principia ex parte Dei; quia multo magis est ex divina electione, prædestinatione, vocatione, et actuali influxu adjuvantis gratiæ.

Rursusque est in illa propositione alius defectus observandus, nam eodem modo loquitur de prædestinatione et salvatione, cum tamen nos diversimode loquamur, et sit ratio longe diversa; nam respectu salutis verissime dicitur ex innata libertate provenire, quod cum talibus auxiliis homo salvus fiat; quia, licet non ex sola innata libertate hoc sit (ut diximus), quia principalior causa est divinum auxilium, nihilominus ipsum auxilium nostram salutem non operatur sine nobis; et ideo in suo genere salutis etiam provenit ex innata libertate. At vero respectu prædestinationis, nec nos dicimus, nec verè dici potest provenire ex innata libertate, quod cum talibus auxiliis homo fuerit prædestinatus; hoc enim nec ex sola libertate nascitur, nec omnino ex usu nostræ libertatis; quia illa particula *ex* denotat causam; bonus autem usus liberi arbitrii, licet in suo genere sit causa salutis, in nullo tamen genere est causa prædestinationis, ut supra ostensum est. Ratio autem diversitatis est, quia prædestinatio et salutis comparantur inter se, ut causa et effectus, et ideo non omne quod est causa salutis, est causa prædestinationis; nam prædestinatio prior est; imo, cum sit prima et radicalis causa perpetuæ salutis, et hæc sit quasi ultimus effectus, inter illas mediare potest bonus usus innatæ libertatis, tanquam propinquior causa salutis, et ut effectus prior ex prædestinatione proveniens; itaque etiam hoc titulo falsa est illa propositio, et falso imposita, et hæc sufficiunt de prædestinatione simpliciter dicta.

CAPUT XIII.

ELECTIONEM AD GLORIAM ANTE PRÆVISA MERITA CUM EFFICACIA VOCATIONIS CONGRUÆ OPTIME COHERERE.

Prædestinatio simpliciter dicta in quod differat ab electione ad gloriam. — Prædestinatio etiam simpliciter dicta in hoc differt ab electione ad gloriam, quod prædestinatio complectitur media omnia per quæ gloria cum effectu comparatur; electio solum ad beatitudinem ipsam terminatur. Ita enim nunc de electione loquimur; unde sub disputationem et controversiam Theologorum versatur, an prædestinatio supponat, secundum rationis ordinem, absolutam et efficacem dilectionem, et electionem prædestinatorum ad gloriam, antequam de eorum futuris meritis aliquid

statutum vel absolute prævisum sit in mente divina; in qua quæstione ingenue fatemur nonnullos ex nostris Theologis docuisse, non antecedere huiusmodi actum in voluntate divina, sed potius prædestinationem, ut ad divinam voluntatem pertinet, post antecedentem voluntatem salvandi homines, inchoari (ut nostro modo loquamur) a voluntate beneplaciti conferendi vocationem congruam et accommodatam æternæ salutis consequendæ, et quasi terminari in voluntate beneplaciti dandi gloriam, quæ est dilectio et electio prædestinatorum ad gloriam; ex quo inferunt hi auctores voluntatem efficacem Dei dandi beatitudinem prædestinatis, subsequi post merita jam prævisa; quam sententiam meram opinionem esse nulla censura dignam, lib. 3 de Auxiliis, capit. 16, ostendimus; quamvis eam nobis non probari, sed oppositam veriorum esse in illis sequentibus capitibus probaverimus.

Status controversiæ. — Non est igitur hæc controversia cum alia sententia de efficacia morali vocationis congruæ confundenda; nam ex illo modo efficacitatis gratiæ, non sequitur quod electio ad gloriam non possit esse mere gratuita, et antecedere absolutam præscientiam omnium futurorum meritorum, esseque (ut ita dicam) primum initium a quo divina voluntas inchoat beneficium prædestinationis; vel potius virtualiter totam prædestinationem continere, quatenus intentio efficax finis virtute includit voluntatem accommodatam et efficaciam mediorum.

Unde tantum abest ut hæc veritates inter se repugnent, ut potius mirum in modum consonent, nimirum, quod electio, seu dilectio ad gloriam prædestinatorum non sit ex meritis prævisis, et quod ipsa merita, quæ cum effectu perducunt hominem ad salutem, proveniant ex vocatione congrua, quam ideo homini Deus impartitur, quia illum elegit ad gloriam; sicut enim ex intentione finis provenit electio mediorum, ita, nostro intelligendi modo, ex electione Petri (verbi gratia) ad gloriam, provenit in Deo voluntas dandi ei media quæ efficaciter et infallibiliter ad gloriam illum perducant, et sicut supra de prædestinatione dicebamus, ita hic de electione dicendum est impertinens esse ad effectum intentum per huiusmodi electionem, quod media ex vi illius eligenda efficacia sint per physicam vim prædeterminandi voluntatem, nam hoc potius repugnaret alteri conditioni talium mediorum, quæ est ut libere

fiant. Sufficit ergo, magisque accommodatum est quod habeant efficaciam congruitatis infallibilis; hæc enim in hac conditione infallibiliter consequendi effectum alteri comparatur; in modo autem inclinandi, et trahendi voluntatem, suavior est magisque accommodata. Ac propterea illa antecedens electio non repugnat cum hoc genere vocationis; quia illa antecedens electio non est per se immediate activa, sed applicativa illorum mediorum, quæ per scientiam conditionatam accommodata esse prænoscentur.

Ex his facile ferri potest iudicium de altera propositione nobis attributa: *Homo pro sua libertate bonum eligit priusquam a Deo trahatur electus.* Talis enim propositio licet in aliquo sensu tolerari posset, non tamen est vera, et in illo in quo nobis imponi videtur, erronea est, vel potius plures errores includit: unus enim sensus illius propositionis esse posset, priusquam homo sit a Deo electus ad gloriam, et ex illa intentione trahatur ad eligendum bonum, ipsummet hominem eligere bonum in præscientia Dei; idque pro sua libertate, non sola, sed efficaciter excitata a Deo et adjuta, cum illaque cooperante auxilio Dei; et hunc sensum diximus esse tolerabilem, quia solum involvit opinionem proximè recitatam, quod electio ad gloriam supponit prævisa merita, et consequenter supponit bonam electionem liberi arbitrii cooperantis divinæ gratiæ, quæ gratia offertur ex parte voluntatis Dei ante electionem ad gloriam juxta prædictam sententiam; quia vero illa sententia nobis non placet, nec vera videtur, ideo dicimus propositionem hanc etiam in hoc sensu veram non esse, nec posse colligi ex eo quod efficacia gratiæ prævenientis ponatur solum in congrua vocatione, et non in physica prædeterminatione, ut ostensum est.

Alius vero sensus illius propositionis esse potest, hominem pro sua libertate, id est, pro puro et naturali usu liberi arbitrii, bonum eligere, priusquam a Deo trahatur ad eligendum bonum; et in hoc sensu videntur nobis imponere propositionem illam, tum quia particulam illam, *pro sua libertate*, interpretantur cum exclusione subintellecta, *pro sola libertate*; tum etiam quia putant vocationem per solas prævenientes motiones non sufficere, ut dicatur Deus trahere voluntatem, quia, licet auxilia moralia invitent et alliciant, non trahunt, quia non cogunt invitum; nos vero dicimus tractionem divinam non esse